



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 5. Quale peccatum est simplex delectatio morosa seu deliberata rei
illicitæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

cillam, non bovem, non asinum, & universa, quae illius sunt. Ita ut sit mortale, proximi bonum notabile expetere cum ejus damno, vel appetere proprium commodum, aut lucrum cum damno gravi proximi: nam hoc graviter repugnat charitati vetanti, ne alteri fieri velis, quod tibi non vis fieri. Hinc (ut ait Catechism. Roman.) Graviter peccant mercatores, qui rerum penuriam, annonaeque charitatem expetunt; atque id agere ferunt, ut alii praeter ipsos sint, qui vendant aut emant, quo carius vendere, aut vilius emere possint. Item qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo aut emendo ipsi lucrentur. Medici item, qui morbos desiderant: judices, advocati, procuratores, scribae, qui causarum litiūque vim, & copiam concipiunt, &c.

Q. 5. Quale peccatum est simplex delectatio morosa, seu deliberata rei illicitae?

Resp. I. Delectatio deliberata seu deliberatè admittitur, de quolibet objecto, vel opere mortaliter malo, est peccatum mortale, etiam secluso omni desiderio, proposito, conatu, & periculo illud efficiendi; tumque speciem, & malitiam à tali objecto. Est communis, & constat 1. ex Prov. 2. Qui letantur, cum male fecerint, & exultant

in rebus pessimis, quorum via perversa sunt, & infames gressus eorum. & Sap. 1. perversa cogitationes separant à Deo. 2. Ex S. August. 1. 12. de Trin. c. 12. Totus homo damnabitur, nisi hec, quae sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur. 3. Naturæ rationali, & legi divinæ disconvenit, ac repugnat, quòd voluntas gratum, & acceptum habeat id, quòd naturæ rationali dissentaneum est. Deo displicet, & ab eo prohibetur. Ergo est peccatum grave, vel leve, pro gravitate, vel levitate malitiæ objecti. 4. Delectatio deliberata de objecto malo est affectus complacentiæ, & inclinatio appetitûs in illud: nemo enim delectatur de eo, quod non amat. At omnis affectus in rem, vel actionem mortaliter malam est mortalis: nam graviter naturæ rationali, ac legi divinæ adversatur, & sumit totam objecti malitiam, ex Osee. 9. Facti sunt abominabiles, sicut ea, quae dilexerunt. Ergo. Ita S. Thom. 1. 2. q. 74. a. 8. Nullus delectatur, inquit, nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus. Quòd autem aliquis ex deliberatione eligat, quòd affectus suus conformetur his, quae secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale. Unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est pec-

catum mortale. Idque verum est, quamvis delectatio sit propter bonum finem, quia finis quantumvis bonus non tollit malitiam objecti.

Hinc mera complacentia de actu, seu objecto mortali contra justitiam, v. g. de furto, vel homicidio à se, aut ab alio patratum est peccatum mortale contra justitiam; est tamen minus grave, quam ipse consensus efficax in tale opus, ut docet S. Aug. loco cit: nam consensus efficax habet longè plus determinationis. Item mortale est contra castitatem gaudere se amari amore libidinoso ab alio, quamvis non sic redamato. Delectatio verò de actu, vel objecto veniali est venialis.

Non est tamen mortale gaudere præcisè de objecto ex se non malo, sed sola lege positiva vetito, quatenus non est de se malum, v. g. gaudere de esu carnum die veneris, non ut tali die posito, aut ponendo. Nam neque objectum istud de se illicitum est, neque ipse actus delectationis merè internæ est prohibitus ab Ecclesia. Hæc tamen delectatio est venialis, quia includit affectum quemdam intemperantiæ, etiam deformiorem, quam si alio tempore contingeret.

Not. Deliberata tristitia, seu displicentia de opere bono est peccatum; nam opponitur virtuti, cujus est actus, & naturæ rationali, ac legi divinæ disconvenit odisse

bonum, & amare malum ei oppositum, gaudere de malo, & dolere de bono ejus contrario.

Resp. II. Est mortale gaudere de actu ex se mortali, sed à culpa excusato ratione ignorantiae invincibilis, vel defectus libertatis, ut de homicidio in somno patrato, de violatione jejunii ex ignorantia, &c. *Ita Suarez, Azor, Sanchez, & Alii.* Quia est delectatio voluntaria de objecto graviter illicito, cum talis actus sit ex objecto mortalis. Nec delectatio excusari potest: nam ideo actus non fuit culpabilis, quia non fuit voluntarius. Sed nunc voluntas liberè eum approbat, & de eo gaudet sine ignorantia, quod graviter disconvenit naturæ rationali, ac legi. Quare hæc Regula, *talis est delectatio, quale ejus objectum*) intelligi debet, quando eadem causa opus excusans reperitur in delectatione.

Resp. III. Ex communi, Delectatio deliberata de solo modo artificioso patrandi malum, qui ex se malus non est, vel de aliqua ejus circumstantia insolita, sed non mala, per se loquendo non est mortalis. Quia 1. in parabola Luc. 16. *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* 2. Ex sensu communi hominum, qui crimini non vertunt, quòd quis delectetur de modo, quo ebrius tremulè incedit, quo quis ex equo decedit, vel de industria, fur subtiliter crumenam emun;

emungit, &c. & aliis non malis circumstantiis actuum malorum, qui simul quoad substantiam displicent. 3. Objectum talis delectationis non est malum.

Potest tamen consensus in ejusmodi delectationem esse culpa venialis, ratione otiositatis, curiositatis, aut similis inordinationis; imò, & mortalis ratione scandali, vel periculi consentiendi in delectatione de ipso actu malo. Quòd si circumstantia, vel modus esset malus, non liceret de eo delectari.

Q. 6. *An licet gaudere de effectu bono secuto ex peccato?*

Resp. Per se loquendo licet, non tamen prout est à peccato: quia objectum talis gaudii non est malum, nec proinde ipsum gaudium. Sic Ecclesia gaudet de Redemptione per Christum secuta ex peccato Adami, *Felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!*

Q. 7. *An delectatio de sola cogitatione, seu cognitione rei graviter illicita est mortalis?*

Resp. Neg. modo absit periculum consensus in objectum: quia rei malæ cognitio, quæ est objectum talis delectationis, non est secundum se mala; & Deus ipse